



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Fasciculus XXXVIII. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS XXXVIII.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 16. & 17. lib. 1. Regum, in quibus describitur Mandatum de Unctione Davidis, Saulis furor & levamen. Goliathi superbia, Davidis generositas, Duellum cum Gigante & Victoria de eo obtenta &c.

Considera 1. **V**erissimum esse illud Poëtæ Martialis carmen: est N. 251.  
*speculum mentis facies, oculique revelant, qualis sit intus  
 meus animusque viri.* Hinc Samuel unum de filiis  
 Isai in Regem uncturus, nullum alium assumpsit, nisi teste S. Scriptu-  
 râ v. 12. capitis 16. *pulchrum aspectu & decorâ facie.* Erat ergo Da-  
 vidis serena frons, oculi lucidi, os modestum, totusque vultus benè  
 compositus, & à natura excultus certum Prophetæ signum: interna  
 correspondere externis, prout etiam sapiens Proverb. 27. ait: *Specu-  
 lum mentis est facies. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic  
 corda hominum manifesta sunt prospicientium.* Certa adhuc assignat Sapien-  
 tiæ, aut insipientiæ internæ indicia Proverb. 17. dicens: *in facie prudentis  
 lucet Sapientia, oculi stultorum in sinibus terra.* Non ergo temerarii judi-  
 cii notam noxamque incurres Christiane, si exiguæ prudentiæ illum  
 judicaveris, qui sine freno, sine modestia oculis quæcumque obvia  
 percurrit objecta, & quaquaversum spatiat. Non errabis, si iracundi-  
 æ deditum dixeris, qui torvò sæpè incedit lumine, & fronte in ru-  
 gas contractâ. *Manifestatur pariter libido teste Abulensi, in quodam ocu-  
 lorum motu.* Contemptum & vilipendium non minùs produnt ocu-  
 li, ut asserit sapiens in parabolis. Hinc Christiane Lector, ut apud  
 omnes bona de te floret æstimatio, cum cæteris virtutibus modestiæ  
 studeas. Sit in fronte tuo serenitas, in oculis submissio, in ore vere-  
 cundia. Utque non tantùm æstimeris ab hominibus, qui ab externis  
 interna judicant, sed etiam æstimeris ab ipso Deo, qui juxta effatum  
 S. Scripturæ v. 7. citati cap. non respicit ad vultum, nec judicat  
 juxta intuitum hominis, sed intuetur cor: ideò de animæ pulchritu-  
 dine,

dine, quæ in virtutum internarum splendore sita est, esto sollicitus. fuge peccatum, quod à te fugere facit Spiritum Domini, ut à saule. Aut si peccandò spiritui *Nequam* dedisti locum in te: ut ab eo citius libereris, arripe cum Davide Cytheram contriti pectoris, cantans cum eo: *peccavi!*

N. 252.

*Considera 2.* Davidem eò acrius ad Duellum cum Goliath ineundum, fuisse accensum, quò magis ipsum deterrere voluerit Rex, tanto certamini longissimè fore imparem ratus. Acclamabat ergò heroicò stimulatus igne v. 36. cit. capitis 17. *Nunc ego vadam, & auferam opprobrium Populi.* Gigas ille sit, ego pigmæus, sit veteranus ille miles, ego juvenis pastor, armis ille sit instructus, ego solò provisus baculò: *vadam tamen, & auferam opprobrium Israël*, non victurus virium robore, non peritiâ militiæ, non armorum apparatu, sed divinâ ope, quâ solâ adjutus ante me Josue prostravit immensas Chananaeorum turmas, & de invincibili triumphavit Urbe Jericho. Magnam in Deum fiduciam rectè comparaveris grano Sinapis, quod etsi quantitate minimum sit, virtute tamen est maximum: nam quanto minùs de se præsumit, tantò majora in Deo, & per Deum audet. *Cùm infirmor tunc potens sum*, testatur Apostolus, divinâ fiduciâ plenus, quâ mediante supremum illud Prædicationis officium exorsus est, quasi totum mundum, & in mundo totum Infernum debellaturus. Quò fuerat inbecillior sceminarum manus, ad devolvendum à monumento lapidem, eò citius Angelicâ manu revolutum invenerunt Lucae 24. Quare ò Christiane anima! si adversum te exurgat ipse tartareus Goliath, & fortior Goliatho caro tua, solò divinæ spei baculò innixus, in aciem progredere, cum Davide exprobrans ei v. 45. citati cap. *Tu venis ad me in gladio & hasta - ego autem in nomine Domini exercituum.* Tali armaturâ spei provisus, percuties haud dubiè utrumque hunc hostem, & auferes caput ejus frangendò vires, quas habet in tentando. Perpende econtrariò: quid eveniat illis, qui instar arrogantis Goliath sua confidunt in potentia, suisque se credunt viribus. Vide: quomodo à parvulo & inermi homine unicò jaçtu, levî inquam tentatione Dæmonis aut carnis vincantur. Sunt illi instar folii, quod leni afflatu ab arbore rapitur. Sunt instar arundinis, quæ modicò tactu curvatur ad terram. Sunt instar pulveris, quem projicit ventus à facie terra. Psal. 1.

Doctri-

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 18. 19. & 20. lib. 1. Regum, in quibus describitur Jonathas erga Davidem benevolentia. Saulis odium & invidia, liberatio Davidis à nece. Iracundia Saulis in Davidem, ejusque fuga & Abimelech.*

Considera 1. **F**Actum illud, quod Davidem inter & Jonathan contigit, fuisse clarissimam amoris Christi erga homines, & quidem gravissimos peccatores figuram. *Expoliavit se Jonathas tunicam, ait S. textus cap. 18. v. 3. quâ erat indutus, & dedit eam David &c.* Haud aliter Christus in crucem agendus suâ tunicâ inconsultilî exui voluit, ut eam impertiretur hominibus, & quidem pessimis, denotans per hoc: nullas dari animas adeò impias & rebelles, quibus sanguinis sui pretium noluerit comunicari; Sacratissimam enim vestem, omnibus Regum ornamentis longè præstantiorem, nec charissimo suo Joanni, nec virginæ suæ matri, nec Cyrenæo de se optimè merito obrulit, sed crudelissimis Lictoribus & carnificibus reliquit. *Quare ò Christiane peccator! verbis S. Chrysostomi de Chanaanâ te alloquitur: noli, inquit, mihi dicere, perii: quid mihi restat? noli dicere, peccavi, quid faciam? medicum habes, qui potest, & vult sanare.* Imò alterum Jonathan habes, qui propriâ voluit exui tunicâ, ut tu ad summam animæ tuæ gloriam Immortalitatis beatæ stolâ vestiarius: atque hinc Blossius part. 2. c. 1. testatur: Christum B. Catharinæ Senens. apparentem, dixisse: se à peccatoribus in extrema mortis lucta desperantibus gravius offendi, & illò peccatò sibi magis esse injurios, quam reliquis omnibus, per vitam commissis: desperantem enim apertè contemnere infinitam Misericordiam &c.

Porro sicut insigne Amoris indicium hîc dederat Jonathas filius Saulis, erga Davidem tam liberalis & beneficus existens, ita infame dedit indicium extremæ invidiæ Saul Jonathæ Pater, Davidem de Goliath triumphantem, & hac de causa omnium ore laudatum, variis persequendò modis, est herile invidus homo simillimus Heli sacerdoti de Silo, non valenti lucernam intueri nisi extinctam, & suo lumine destitutam, est pariter simillimus serpentibus Indiæ, qui aromaticas arbores, dum maximè florent, corrodere nituntur. *Horribile est odium Invidiæ, asserit S. Thomas Doctor Angel. in Genes. c. 37. quia omnia motiva amoris precipua summè*

summè vertit in oppositum: accipit enim ut sibi contrarissima, quæ amantissima sunt. Hinc Christiane, cane pejus fugias caninam invidiam. Aut si ab aliis cogaris invidiam cum Davide perpeti, exemplum divinæ Providentiæ in ipso respicias, quod tibi solatio sit. Cerne enim, quàm gravibus periculis, ab invidia contra illum excitatis, hîc ereptus sit, nunc defensus à Jonatha, nunc depositus per fenestram à Michol filia Saul, statuam ejus in lecto ponente.

N. 254.

Considera 2. Quàm effrenis & stolidi passio sit iracundia, ut hominem sibi deditum non tantum in externos & inimicos faciat crudelem, sed etiam in propinquos, amicos & benefactores. Erat David Saulis fulcrum, ejus contra hostes forte præsidium, contra Dæmonem scutum, quin & gener ipsius: & tamen stimulante iracundiâ mortem ei continuo machinabatur. Optimè ergo S. Basilius homil. de ira, passionem hanc vocat *momentaneam quandam insaniam*. Non enim sic fumus impedit oculos à visu rerum illarum, quæ pedibus adjacent, sicut iracundia rationem offuscat, ut considerare nequeat, quid rerum circa se agatur. Et sicut nullus solis apparet radius, quando commotæ nubes Cælum quaquaversum occupant, nec fons turbatus insipientis reddit imaginem, quam tamen tranquillus ostendit, ita homo irâ abreptus, omni Rationis Luce usuque caret. Hinc Prisco Catoni proverbium fuit: *iratum ab insano non nisi tempore distare*. Epicurus quoque de effectibus iræ quæsitus teste Senecâ Epist. 18. responso dedit: *immodica ira insaniam gignit*. Lubeat etiam quasdam audire pœnas, quas per iracundiam merentur tales insani. Apocalypseos 12. venit Diabolus habens iram magnam, sed sese vidit projectum esse de Cœlo in terram. Holofernes Judith. 5. intelligens: filios Israël sumptis armis sese ei opposituros, nimio furore exarsit, sed capite per manum Judith minutus, iram hanc satîs luit. Amor contra Hebræos iracundiâ inflammatus, pœnam dedit, ex patibulo suspensus. Esther 3. Herodes Rex, videns se à Magis delusum, iratus: jussit interfici omnes pueros in Bethlehem abimatu & infra, sed miserrimè interiit. Matth. 2. O Christiane Lector! nonne sæpius contingit: te quoque insanire irascendô, si vel levî verbô non dicam verberare offenderis? an nescis: *vivum stultum interfici ab ira*? planè sicut vespa irritata non tantum in homines, sed etiam in saxa & parietes cæcô modô impingens, non his, sed sibi ipsi nocumento est, dum perdit aculeum, quô armatur: sic tu cæcam passionem secutus, dum aliis damnum inten-

tas,

tas, tibi ipsi damno es. Et licet non habeas Deum iræ tuæ vindicem, ut habere illi, quos paulò ante memoraveram, habebis saltem ipsam passionem tui carnificem. Noverat hoc S. Ephrem, à natura iracundiæ nimium deditus, & hinc eam admodò temperare studuit, ut cum semel ejus socius fregisset ollam, & cibos omnes effudisset, nequidquam inde motus: *bonò sis animò, dixit, ad cibum usque eamus, cum ipse ad nos non venerit, sicque ollæ fractæ assidens sumpsit prandium.* Sozomen. lib. 3. hist. Eccles.

### Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 21. 22. & 23. lib. 1. Regum, in quibus describitur Davidis & sociorum refectio per panes Propositionum. Fuga ab Achis, secessus in Odollam. Mansio in silva, & amica ejus visitatio per Jonathanam.*

Considera 1. **S**I in Davide, in sociis vel servis ejus *Panes Propositionum* N. 255. manducaturus, tanta corporum Castitas & continentia fuerit requisita: ut Abimelech Sacerdos famelicis Panes istos penitus denegasset, nisi illico audiisset, eos à mulierum commercio mundos, cælibem egisse noctem; quanta corporum castitas exigatur ab illis, qui ipsum Domini corpus virgineum sunt sumpturi? non absque speciali Mysterio Deus florere voluit Virgam in electione Aaronis in Sacerdotem: quia teste Orig. homil. 21. in lib. Num. *illius tantum est offerre, & sumere Sacrificium indefinens, qui indefinenti ac florida se devoverit castitati.* Habet quidem materialis ille syderum Rector Phabus: ut lutea pertransiens loca, nullas contrahat maculas; sed æternus Justitiæ Sol, in incruento Altaris Sacrificio offerendus, & sumendus conqueritur quandoque per Prophetam Ezechielem cap. 12. *Sacerdotes polluerunt Sanctuaria, & inquinabar in medio eorum.* Aaron cum filiis suis Altare Sacrum accessurus jussu Dei femoralibus succingi debuit, certò moriturus in pœnam, nî ceremoniæ huic habuisset morem Exodi 28. hoc Decretum Dei utilissimâ indagine perscrutans S. Bruno: postquam vestes istas, continentia Sacerdotalis symbolum esse agnovit, tandem conclusit lib. de ornament. Eccles. cap. 9. *valdè timendum est, ne sortè moriantur. Si non vis mori, aut Castitatem custodi, aut Altare non accede. Hinc est, quòd nos servi Salomonis inter cetera Eboris pulchritudi-*

rudinem & candorem, per qua Castitas figuratur, Christo Domino offerre debemus, castissima animalia sunt elephantes &c. Christiane Lector, ut & tu Castitatis ebur Deo conserves, ad Altare deferendum, erit necesse: cum Davide v. 8. citati cap. petere gladium, quò armatus abscindas, quidquid illiciti in te vivit amoris & carnalis appetitùs. Timendum tibi à facie mulieris, sicut David sibi hïc v. 12. timuit à facie Achis. Satiùs est, fugiendò fingere stultitiam cum illo, quàm carnalì amore captum fieri reverà amentem. Quærenda est cum Davide cap. 22. *odolla spelunca*, solitudo videlicet, Castitatis Custos.

N. 256.

Considera 2. Insigne illud veræ amicitia, non quærentis, que sua sunt, à Jonatha Davidi datum exemplum: dum his verbis cum allocutus est. v. 17. capiti 23. *Tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus.* Rectè ait Baëza tom. 2. lib. 8. cap. 3. §. 12. *honorum amicorum præcipuum est, ut bona sua amicis postponant.* Jonatham imitatus sic se gesserat Joannes Baptista Christi Præcursor, qui Nomen Messia sibi nequiquam retinuit, sed transtulit in Jesum, quærentibus ex se: num foret Messias? illicò respondens: *non sum ego Christus, sed medius vestrum stetit, quem vos nescitis &c.* Hoc factum perpendens S. Bernardus asserit: *ipse de se loquatur amicus Sponsi. Stat Joannes: non enim arundo est, vento agitata. Stat, quia amicus est, verè amicus Sponsi, qui procedentis de Thalamo suo non amulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam.* teste Engelgrav. p. 2. Luc. Evangel. Emblem. 13. §. 3. Vir quidam morti proximus, cum calicem potionis amarissimæ tremulâ manu teneret, & quidam circumstantium hortarentur, ut amicissimo cuidam hunc calicem propinaret; Christum è Cruce pendentem intuitus, tibi inquit: amicorum optime, tibi hunc calicem propinatum volo, qui salutis mea causâ longè amariorem Passionis tempore epotasti. O Christiane! qui tantâ angeris curâ in acquirendis, aut conservandis amicis, dic quæso: an tales senseris hucusque, qui Jonatham, Joannem Baptistam, aut Christum fuerint imitati, tua potiùs, quàm sua quærentes? ah! quoties in tuis angustiis sollicitans auxilium, expertus es, derelictum te esse ab illis? nonne instar hirundinum sese gesserant, quæ æstatis, hoc est, felicitatis tempore, domum suò garritu impleant: hyemis verò, adversitatis videlicet, aufugiunt. Tanta igitur hominum infidelitate deterritus, fac tibi amicos in Coelis, qui in æterna te recipiant Tabernacula. si à morte in æternitatis vastissimum cogeris fugere desertum, ut ibidem cum Davide tutus lateas.

Doctri-

## Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 24. & 25, lib. I. Regum, in quibus describitur Misericordia Davidis exhibita Sauli, quem occidere poterat in spelunca. Nabalis arrogantia, Davidi petita alimenta denegantis. Ira Davidis inde concepta, sed mitigata per Abigail.

Considera I. **D**AVIDEM tam frequenter à Saule ad necem quæsitum: N. 257. cum optimam fuisset occasionem nactus Vindictæ, non tantum ei mortem non intulisse manu, sed nec maligno cum aspexisse oculo. Ecce! aiebat ille, viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & cogitavi, ut occiderem te: sed pepercit tibi oculus meus. cap. 24. v. 24. Sciebat mitissimus David, Deo nihil acceptius esse amore inimici: hinc in solius Dei beneplacito fixos tenebat oculos, servis suis vindictam suadentibus v. 7. hujus capit. respondens: propitius mihi sit Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Salvatore nostrò à Judæis in Crucem actò, insensata etiam creaturæ vindictam spirare videbantur; sol enim squalidam indutus est faciem & frontem contraxit in atras rugas. Aër fuit spissâ caligine offuscatus. Horrendis motibus contremuit terra. Monumenta aperta sunt, petra scissæ. Jamquæ communi suffragiò in vindictam celerem involare omnia credebantur. Sed extemplò ex inhibuit Christi mandatum, volentis, ut exemplò suò etiam marmora erga Sacrilegos ad misericordiam emollirentur, veniam vindictæ locò datura. Quare S. Leo Serm. 6. de Pass. ait: pendente in patibulo creatore universa creatura congemuit, & Crucis clavos omnia elementa senserunt. Debat hoc testimonium suo mundo creatori, ut in occasum Conditoris sui vellent universa fini. Sed patientia Dei in illum potius vocat affectum, ut eorum salutem petamus, quorum crimen horremus. Christiane Lector! hæc duo exempla Davidis & Christi cordi tuo imprime; fiet inde, ut etiam gravissimas injurias facili negotiò concoquas, Deum obligaturus, ut & ille illatas sibi à te injurias gratiosè condonet. Ipsos pariter inimicos hæc lenitate convictos, reddes tibi amicos, cum Saule dicturos v. 18. citati cap. Justior es, quam ego &c. Verum, quid tam Sancta tibi propono exempla, quem etiam creaturæ sensu carentes, bestia, aut saltem homines Ethnici ad injurias




hostibus condonandas provocant suis exemplis. Aspice tantisper Cœlum, si zelô vindictæ ardentius flagras, & considera surgentes e terra vapores, quomodo serenam ejus faciem atris obducant nubibus, nonne hoc grandem injuriam dixeris, Cœlis illatam? sed quid inde vindictæ expectas? en resolvuntur nubes illæ in salutarem pluviam, quæ terram fecundat, quin etiam in ipsis atris nubibus pingit sui imaginem sol, & Iridem speciosissimam illis imprimit. Nonne vites & arbores singulis annis suis spoliantur fructibus, & tonduntur? attamen ipsæ nihilô pauciores fructus postea reddunt. Nonne gallinis ova, columbis pullos millies suffuramur: tantum verò abest, ut illæ indignentur (cum tamen talia non hominum, sed speciei conservandæ gratia ponant) ut etiam novis nos identidem fructibus recreent? nonne canes frequentia à nobis ferunt verbera & tamen omnis injuriæ obliti, ocus nobis caudæ motibus blandiuntur. Sed misis bestiis, quas dices forsan, cæcô impetu & necessitante phantasiâ agere talia, propono tibi homines Ethnicos, quos intuearis. Narrat Elianus lib. 12. Phocionem damnatum esse ad mortem, haustô venenô subeundam. Cùm autem latâ sententiâ ei populum obtulisset Lector, rogatus ab amicis & propinquis, quid filio mandaret? reposuit: *Mando ei, ut obliviscatur potus hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.* Lacedæmoniorum Rex Lycurgus, cùm à feroce Juvene Alcandro, orbatus oculô cum à Populo sibi traditum accepisset, pro libitu plextendum, nihil pœnæ in illum statuit, sed optimis instructum moribus tandem in theatrum produxit, hæc verba teste Plutarchô in vita Lycurgi locutus: *en juvenem, quem à vobis, injurium & violentum accepi, jam frugi & popularem vobis restituro.* Hæc tibi si non sufficiant exempla, lege S. Blasium homil. 24. d. leg. lib. Gentil. plura afferentem.

N. 258. *Considera 2.* Quàm ægrè Deus ferat superbiam & arrogantiam illorum hominum, qui alios vilipendunt. Enim verò Nabal cum ingenti arrogantia Davidis ejusque servis necessaria denegans alimenta, dicendô: *quis est David, & quis est filius Isai?* cap. 25. sensit illicô ultricem Dei manum testante S. Scripturâ v. 38. hujus cap. *Cùm pertransissent decem dies percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Antiochus Rex, qui non hominum tantummodo, sed ipsius Dei contemptor, sibi videbatur fluctibus maris imperare, & altitudinem montium in statera appendere, tam gravem in se Dei provocavit vindictam, ut ob corporis, ingentem vermium copiam nutrientis fœtorem, à nemine su-

fineri

stineri posset. Taceo plura proculcata à Deo arrogantiae & superbiae exempla. Rectè ergo de arrogantibus, & alios temerè spernentibus regius cantat Vates Psal. 72. *dejecisti eos, dum elevarentur.* In quæ verba S. Greg. M. hæc scribit: *non ait, dejecisti eos, postquam elevati sunt, sed dum elevarentur: quia hoc ipsum est superbis, interiùs dejici, quòd eis falsa contingit gloriâ elevari.* Christiane Lector! si & tu à Spiritu elationis in altum ductus, meliorem te aliis judicasti: ne Deo, qui instar Davidis paratos semper habet vindictæ Ministros, celeres pœnas exsolvas cum *Nabal*, imitare facti pœnitens *Abigaëlem*, mulierem prudentissimam uxorem *Nabal*, festinans ergò descende de asino superbiae & arrogantiae tuæ, & affectu submissionis procide super faciem tuam, desinens esse superbus *Nabal*, qui teste S. Scripturâ v. 25. citati cap. *juxta Nomen suum stultus est.* Hòc factò amorem Divini Davidis adeò in te provocabis: ut ille animam tuam spirituali Matrimonio per gratiam sibi sit conjuncturus, sicut David dicitur ad carnale Matrimonium invitasse *Abigaëlem* v. 40. hujus cap.



## FASCICULUS XXXIX.

### Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

#### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 26. 27. & 28. lib. I. Regum, in quibus describitur secunda condonatio & misericordia, Sauli à Davide exhibita, & à Saule ipso laudata. Consilium Saulis à Pybonissa petitum. Nuntium de futura morte.*

Considera I. **Q**uanti Roboris sit mansuetudo, dum ex Saule juratissimo Davidis hoste, non tantum amicum ipsius, sed etiam patrem effecit: agnoscens enim Saul beneficium condonatae sibi vitæ exclamavit c. 26. dicens: *peccavi! revertere fili mi David, nequaquam ultra tibi malesciam. Apparet, quòd stultè egerim, & ignoraverim.* Ethnicus ille centurio, qui crudeli lanceâ crucifixi Salvatoris